



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 36. Regis benevolentia erga Burgundiæ Ducem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

celebres exauctoravit; ferme omnes Re-
 giæ Domus ministros, caussarum Fo-
 rensium iudices, ac ærarii Præfectos
 ab officio amovit; cunctosque, qui apud
 defunctum Regem gratia valebant, male
 habuit, ac demum quæcunque Pater
 ejus sanxerat, nulla ac irrita declarare
 studuit. Fratri suo nonnisi Bituricen-
 sem Ducatum in paternæ hæreditatis
 portionem concessit, Ducem vero Alen-
 sonium e carcere liberum dimisit, mox
 autem Antonium Chabanium Dammar-
 tini Comitem in ejus locum ad Bastil-
 lam, ut vocant, deferri præcepit, eo quod
 ipse a defuncto Rege ante sex annos Del-
 phinum comprehendere jussus esset.
 Præterea Armeniacum Comitem bonis
 suis restituit, sed populum tributis one-
 ravit, Proceres exspoliavit, & totius
 Cleri invidiam ob innumeras molestias
 eidem illatas in se concitavit.

§. XXXVI.

*Regis benevolentia erga Bur-
gundiæ Ducem.*

Rex, cum Burgundi ac Britanni Du-
 cum amicitiam rebus suis plurimum
 prodesse cerneret, seque Burgundo non
 infimis titulis obstrictum esse, haud igno-
 raret, utrumque simulata benevolentia
 delinire satagebat. Quare Carolesii Co-
 miti

Sæcul. XV.
A.C. 1461. miti ejusdem Filio Normanniæ admini-
strationem contulit, secreto tamen foe-
dus, quod Carolus VII. Pater ejus cum
Leodiensibus, juratis Burgundicæ Fami-
liæ hostibus, pepigerat, ratihabuit, proin-
fidem violavit, quam paucis ante mensi-
bus Duci dedit, promisitque, quod in
ejus gratiam Leodiensibus adversari vel-
let; Britanniae vero Ducem compulit,
ut pro suis ditionibus homagium præsta-
ret, ipse tamen Regem accederet, qui
eo tempore Turonibus agebat, inde vero
ad S. Salvatorem Rhedoniæ in Britan-
nia peregrinatum ibat. Dux igitur ibi-
dem in occursum Regis properabat, eum-
que summis honoribus excipiebat.

S. Saviour
de Rhedon.

§. XXXVII.

Legati ad Ludovicum a Papa missi.

Paulo post Pius Pontifex Joannem Jo-
fridium seu Geofredum Atrebaten-
sem Episcopum tanquam Legatum ad
Regem decrevit, dato negotio, ut eidem
Christianæ Reipublicæ salutem impensi-
us commendaret, illumque ad ferendam
fidelibus opem adversus Turcas horta-
retur.

§. XXXVIII.

*Pius apud Regem agit de abro-
ganda Pragmatica.*

Attamen præcipuum erat Legationis
caput,